Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Arterie uocate sunt quod per eas a pulmone aer, hoc est spiritus fertur. seu quod artis et angustis meatibus spiritum uitalem retineant. unde uocis sonos emittant. qui soni uno modo sonarent, nisi lingue motus distinctas uoces efficeret. Tolles gallica lingua dicuntur, quas uulgo per diminutionem tusillos uocant. qui in faucibus turgescere solent. Mentum dictum quod inde mandibule oriantur. uel quia sibi iungantur.

Gurgulio a gutture nomen trahit. cuius meatus ad os et nares pertendit. habens uiam que uax ad linguam transmittitur. ut possit uerba collidere. unde et garrire dicimus. Rumen proximum gurgulioni. quo cibus et potio deuoratur. hinc bestie que cibum reuocant ac remandunt ruminare dicuntur. Sublinguium operculum gurgulionis quasi parua lingua que foramen recludit atque aperit. Collum dictum quod sit rigidum et rotundum ut columna. baiolans caput, et sustentans quasi capitolium. cuius anterior pars gula, gula uocatur. posterior ceruix. Ceruix autem uocata quod per eam partem cerebrum ad medullam spine dirigitur. quasi cerebri uia. Veteres autem plurali tantum numero ceruices dicebant. Primus autem Ortensius ceruicem singulariter dixit. Ceruix autem numero singulari membrum ipsum significat. Nam pluraliter contumaciam sepe demonstrat. Cicero in Verrinis: pretore tu accusas, frange ceruices. Humeri dicti quasi armi ad distinctionem hominum a pecudibus mutis, ut hii humeros, illi armos habere dicuntur. Nam proprie armi quadrupedum sunt. Ala summi humeri pars posterior. Brachia a fortitudine nominata. baros enim grece graue et forte significatur. In brachiis enim tori lacertorum sunt, et in signe musculorum robur existit. ibi sunt tori, id est musculi, et dicti tori quod illic uiscera torta uideantur.

Cubitum dictum quod ad cibos sumendos in ipsis cubamus. Vlna secundum quosdam utriusque manus extensio est. secundum alios cubitus. quod magis uerum est quia grece ulenos cubitus dicitur. Ale sub brachia sunt appellate eo quod ex eis in modum alarum motus brachiorum inchoatur(?)

quas quidam ascellas uocant. quod ex eis brachia celantur, id est mouentur. unde et oscellas dictas. ab eo quod oscellantur, hoc est moueantur ora. Nam scillere est mouere. has quidam subhircos uocant. propter quod in plerisque hominibus hircorum fetorem reddant. Manus dicta quod sit toti corporis munus. ipsa enim cibum corpori ministrat. ipsa operatur omnia atque dispensat. per eam accipimus et damus. abusiue autem manus est ars uel artifex unde et manus pretium dicimus. Dextera uocatur a dando. ipsa enim pignus pacis datur. ipsa fidei testis atque salutis adhibetur, et hoc est illud apud Tullium: Fidem publicam iussu senatus dedi. id est dexteram unde et apostolus dicit: Petrus et Iacobus et Iohannes dexteras dederunt mihi et Barnabe societatis. Leua quod aptior sit ad leuandum. Sinistra autem uocata quasi sine dextera. siue quod rem fieri sinat. a sinendo enim sinistra est nuncupata. Palma est manus expansis digitis. sicut contractis pugnus. Pugnus autem a pugillo dictus. sicut palma ab expansis palme ramis. Digiti nuncupati uel quia decem sunt. uel quia decenter iuncti existunt. Nam habent in se et numerum perfectum et ordinem decentissimum. Primus pollex uocatur eo quod inter ceteros polleat uirtute et potestate. Secundus index et salutaris. seu demonstratorius. quia fere eo salutamus uel demonstramus aliquid. Tercius impudicus quod plerumque per eum obprobrium insectatio exprimitur. Quartus anularis eo quod in ipso anulus geritur. idem et medicinalis. quod eo trita collyria a medicis colliguntur. Quintus auricularis pro eo quod aurem scalpimus. Vngulas ergo eo uocamus. illi enim has onices dicunt. Truncus media pars corporis. a collo ad inguinem. de quo nigidius: caput collo uehitur. truncus sustinetur coxis et genibus cruribusque. Torax a grecis dicitur anterior pars trunci a collo usque ad stomachum quem nos dicimus arcam eo quod ibi archanum sit. id est secretum quo ceteri arceantur. unde et arca atque ara dicta. quia res secrete. cui eminentes pulpe maxille inter quas pars illa ossea pectus dicitur. dextra autem leuaque coste.

xi.